



Index Librorvm Prohibitorvm Alexandri VII

Alexander

Romae, 1667

L. Sanctæ Inqvisitionis. Feria IV. Die XVIII. Martij MDCXLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81440)

In quorum fidem Manus, & Sigillo Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Card. Spada præsens Decretum
signatum & munitum fuit. Romæ, die 11. Iunij 1642.

R. Card. Spada,

Locus sigilli:

F. Io. B. Marinus Ord. Præd. Mag. & S. C. Secr.

SANCTÆ INQUISITIONIS.

Feria IV. Die XVIII. Martij MDCXLIII.

In Congregatione Generali S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis, habita
in Conuentu Sanctæ Mariæ super Minervam, coram Eminentissimis
& Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in Vniuersa Repu-
blica Christiana contra hæreticam prauitatem
Inquisitoribus Generalibus à S. Sede
Apostolica specialiter deputatis

PRODIIT Anno 1641. Liber cui titulus, *Michaëlis Rabardei, de Societate Iesu, Diœcesis Aure-
lianensis, Optatus Gallus de cauendo Schismate, &c. benigna manu sectus, &c. Excusis*
Parisijs, apud Viduam Ioannis Camusat, via Iacobæa, sub signo Velleris aurei.

Cumque euulgato opere Sanctissimo Supreme, & vniuersalis Inquisitionis Tribunali fuerit
denuntiatur, multas in eo contineri propositiones, quæ in Ecclesia Dei graue scandalum parere po-
terant, schismaque non tam tollere quam fouere videbantur: Propterea de mandato Sanctissimi D.
N. in Sac. Cong. eiusdem Supreme & Vniuersalis Inquisitionis, propositionibus in dicto Libro con-
tentis maturè examinatis, eadem Sacra Congregatio communi voto censuit, multas ex illis esse
respectiue temerarias, scandalosas, piarum aurium offensiuas, seditiosas, impias, potestatis Pontifi-
cie penitus destructiuas, Immunitati ac libertati Ecclesiasticæ contrarias, Nonatorum hæresibus
proximas, erroneas in fide, & manifestè hæreticas.

Ne igitur ex lectura operis adeo perniciosi, Christi fideles erroribus & hæresibus ac prauis opi-
nionibus inficiantur & deprauentur, Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Cardinales, in tota Republica
Christianæ supremi & Vniuersales Inquisitores, Librum prædictum omnino damnandum & pro-
hibendum esse voluerunt, prout præsentis decreto damnant & prohibent: Mandantes vt nullus
deinceps cuiusunque gradus, & conditionis existat, etiam speciali & specialissima nota dignus, sub
pœnis in Sacro Concilio Tridentino & in Indice Librorum Prohibitorum contentis illum audeat
imprimere, seu imprimi curare, vel quomodocunque apud se retinere ac legere, & sub eisdem pœ-
nis quicumque illum habent, vel habuerint, in futurum locorum Ordinarijs seu Inquisitoribus,
statim à præsentis Decreti notitia exhibere teneantur.

Io. Antonius Thomafius S. Rom. & Vniuers. Inq. Not.

LI.

SACRÆ CONGREGATIONIS INDICIS.

SACRÆ Indicis Congregationis Decreto damnati, prohibiti, ac respectiue suspensi
fuerunt infrascripti omnes Libri, vbicunque & quocunque idiomate impressi, im-
primendiue. Nemo, cuiuscunque gradus, & conditionis, eos in posterum vel im-
primat, vel legat, vel retineat. Si quos interim habuerit, Inquisitoribus seu locorum Ordina-
rijs, à præsentis Decreti notitia tradat, sub pœnis in Indice Librorum Prohibitorum
contentis. Libri sunt.

h h 3 Allegationum